

vestrae, de quibus hic tractavimus et definivimus, breviter intinavimus.

II. Nulli dubium est, quod peccatis nostris atque flagitiis merentibus tantum malum in ecclesia Christi contigerit, ut et ipsa Romana ecclesia, quae capud est Christianitatis, infidelium manibus traderetur, et per omnes fines regni nostri fratrumque nostrorum paganorum populus praevaleret. Idcirco necessarium valde iudicavimus, ut omnia, in quibus maxime Deum a nobis offensum esse cognoscimus, ips[i]us adjuvante misericordia corrigamus, et ut per satisfactionem congruam divinam studeamus placare justitiam, quatinus, quem iratum sensimus, placatum habere possimus.

III. Hac de causa volumus et omnino proponimus, ut, quicquid in ecclesiis Christi locisque sacratis per negligentiam hucusque aliter fuit quam debuit, in quantum adjuvat superna pietas emendetur.

IV. Et inprimis monachi, qui ordinem suum per desidiam aut cupiditatem seu secularem ambitum deseruerunt, admoniti ab episcopis et abbatibus emendantur; quodsi audire contempserint, severius districti suum ordinem repetere compellantur. Qui vero per inopiam a suo proposito deviaverunt: si ipsa inopia per necessitatem generale[m] contigit, prout potest fieri emendetur, donec largiente Domino melius atque perfectius talem inopiam emendare possimus; si vero per duriciam aut negligentiam praelatorum evenit, praelati ipsi diligenter admoniti si emendaverint, bene, si emendare noluerint, ab ipsa praelatione removeantur. Similiter et in cano[n]icis atque sanctimonialibus observandum esse sancimus.

V. Quia in dehonoratione sanctorum locorum Deum frequenter offendimus, volumus atque statuimus, ut, quicquid ab ecclesiis Christi injuste et inrationabiliter nostro tempore ablatum esse cognoscitur, pristinae potestati competenti ordine restituatur.

VI. Volumus etiam et diligentissime praecipimus observandum, ut episcopi singuli in suis paroechiis diligenter examinent et sollicite investigent, quicumque publicis sint inretiti flagiciis, hoc est incestos, adulteros, sanctimonialium stupratores, vel qui eas etiam in conjugium acceperunt, homicidas, sacrilegos, alienarum rerum pervasores atque praedones; et hoc per omne regnum